



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Fidejussio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

dicatur præcisè alienare bona Ecclesiæ; peccat tamen contra iustitiam repudiando; cum ex officio teneatur consulere bono Ecclesiæ. *ib. n. 33.*

Fideiussio.

Vide v. *Asscuratio.*

1. Fideiussio, quæ significat fidem suam alteri jubere et dare, est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua illius adimpletionem, sequens illius defectum obligans; hinc fit ut fideiussor non teneatur ad plura, vel ad maiora, quàm teneatur principalis debitor pro quò jubet, & cuius personam gerit, & tenetur in illius defectum, etiam ante iudicis sententiam. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. quest. 9. punct. 1. n. 1. & 2.*
2. Fideiussor qui se tantum obligaverat ad aliquod tempus, ex. gr. ad annum, remanet liber ab obligatione fideiussionis; postquam creditor prorogavit terminum debitori pro quo fideiussit. Idem dicendum si ille ad quem exhibendum & custodiendum se obligaverat, condemnatus fuit de aliquo crimine, aut fugit. *ib. n. 8. & 9.*
3. Fideiussor qui pro reo morte digno fideiussit, plectendus non est capite, reo fugiente; quia non præsumitur eum voluisse se ad hanc pœnam obligare; imò nec potuit, cum non sit dominus vitæ suæ. *ib. n. 10.*
4. Fideiussor potest agere contra debitorem, ut seipsum liberet à fideiussione, in his casibus, quando debitor vergit ad inopiam, aut quando multo tempore fuit in mora solvendi postelapsum tempus constitutum ad solvendum; & quando fideiussor condemnatus fuit ad persolvendam fideiussionem. Item debitor tenetur resarcire damna quæ patitur fideiussor ob culpam debitoris non solventis debito termino. *ib. n. 11.*
5. Duplex est fideiussio, judicialis & privata. Judicialis fit in iudicio, ut quando quis fideiubet ad constituendum reum sub pœna pecuniaria; quòd si non præstet, tenetur pœnam solvere: privata verò fideiussio est, quando quis se obligat in defectum principalis ad solvendum. *ib. n. 17.*
6. Ille potest fideiubere, qui habet bona ad satisfaciendum in defectum principalis, modò habeat liberam illorum bonorum.

norum administrationem, qualem non habent pupilli, religiosi, & pauperes. Mulier nisi in aliquibus casibus fidejubere non potest. *ib. punct. 2. n. 1. & 2.*

A D D I T I O.

Potest pro fidejussione aliquid pretii accipi, etiamsi nullum timeatur periculum, est enim ex se pretio æstimabilis. De fidejussore P. N. l. 3. c. q. d. n. 146. Garz. c. 38. Lopez. l. 2. de cont. c. 16. 17.

De usura, quæ contingere potest in fidejussione, Mol. d. 319. Sot. l. 6. q. art. 2. col. 10. P. N. l. v. cap. 2. num. 114. eadem est ratio de asscuratore, *ib. Syl. Fidejussor. n. 14. Con. lib. 5. var. res. fol. c. 2. n. 6.*

Mutuare cum pacto, ut fidejussor sit pro mutuante, usura est. Mol. l. c.

De contractu asscurationis Garz. l. 6. de contractu, c. 39. Lopez l. c.

Fideicommissum.

Fideicommissio subjecta possunt alienari causa dotis, etiam post fideicommissum promissæ, & alimentorum.

Fides.

1. Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo revelatas propter ipsius auctoritatem. Fides est in intellectu tamquam in subjecto; illius objectum materiale sunt res à Deo revelatæ, formale verò est auctoritas divina. Ecclesia autem dicitur regula infallibiliter proponens res fidei credendas. Hinc collige magnam esse nostræ fidei certitudinem, cum fides infallibiliter Dei testimonio nitatur, qui non potest falsum revelare. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 2. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. In beatis non est fides, neque spes. Item neque in dæmonibus, vel damnatis, neque similiter in hæreticis; nam spes non potest esse sine fide, qua ipsi carent. *ib. n. 7. & seq.*

3. Non solum fides habitualis necessaria est ad salutem, verum etiam fides actualis, non solum necessitate medii, sed etiam præcepti; teneturque homo postquam ad rationis u-

R

sum